

*Lectoribus Editor!*

*Opus nec supervacuum nec doctis ingratum me suscepisse ratus sum, cum huic collectioni librorum, quos nomine apocryphorum N. T. insignire solent, promulgandæ studium et laborem impenderim. Si enim dandum est, quod plures viri, ut eruditione ita ingenii acumine conspicui, inter quos Doederlein, Gabler et J. E. C. Smidt nominare sufficiat, non sine causa arbitrati sunt, hæc scripta ad interpretationem librorum sacrorum N. F. non sine fructu adhiberi posse; quis dubitaverit utilitatem eorum eo magis redundare, quo emendatori textu uti concessum fuerit? Laudem omnino meruit J. A. Fabricius, cum sparsa hujus generis scripta in unum volumen collegerit, et pro mirabili, qua pollebat eruditionis copia, multa ad eorum cognitionem utilia adjecerit; sed deficiente puriores fontes acquirendi occasione, priorum editorum vestigiis institit, nisi quod interdum textum depravatam conjectura emendando operam accommodaverit. Quamquam non diffitebor Fabricium, qui ut eruditione ita judicio quoque valuit, plurima acute emendasse, tamen jure contenderim, ad textum recte constituendum codicibus Mss. opus esse, præprimis si librorum apocryphorum conditionem spectaveris, in quibus mutandis*



librariorum licentia plurimum ausa est. His ductus  
rationibus consilium cepi, scripta nonnulla apocrypha,  
quæ mihi, cum viginti abhinc annis codices N. T. in  
bibliothecis exterorum examinarem, obvenerint, dili-  
gentius scrutari, atque si editionis honore dignos ju-  
dicarem, cum eruditis communicare. Quod cum ab  
amicis perceptum fuisset propositum, eadem felicitas,  
quæ apparatus meum criticum ad N. T. textum auxit,  
hac quoque occasione obtigit. Collationem codicis lati-  
ni, Evangelium Nicodemi complectentis, una cum sylloge  
observationum ad Protevangelium Jacobi, ex duobus  
codd. Vaticanæ bibliothecæ congestis, nec non apogra-  
phon libri inscripti περιοδοι Ιωαννου auctore Prochoro,  
amice mihi obtulit vir doctissimus Engelbreth; cui ac-  
cessit vir egregie doctus B. Thorlacius, copiam codicis  
græci Evangelii Nicodemi, ut et alia minora scripta  
apocrypha benigne mihi largiendo.

His instructus opibus editioni fidenter me accinxi.  
Jamjam typis expressum erat Evangelium Nicodemi,  
cum vir illustrissimus Thorkelin, ut multarum rerum  
scientia, ita quoque linguæ anglo-saxonice cognitione  
pollens, translationem latinam, quæ versionem anglo-  
saxonice Evangelii Nicodemi ad verbum redderet,  
sponte nobis promisit. Eodem tempore vir celebra-  
tissimus Silvestre de Sacy, cujus doctrina modo urba-  
nitate vincitur, suppellectilem nostram ex thesauris  
Bibliothecæ Parisiensis ditare velle, officiosissime est  
polli-



pollicitus. Sic, ut mole ita quoque pretio crevit  
adminiculorum ad opus perficiendum copia: spesque  
fuit, si non meis, attamen virorum doctorum acces-  
sionibus locupletatum luce publica non prorsus in-  
dignum existimari,

Hæc dum parantur, clementia augustissimi Regis  
munus Episcopi dioeceseos Laalandiæ et Falstriae mihi  
delatum est: omnibus igitur, quæ a delegato officio avo-  
care animum possent, renuntiandum esse fas et æquum  
reputans, rivos clausi, satque habui, quæcumque pre-  
lo jam expressa essent, cum brevi præfatione, qua mo-  
do maxime necessaria indicarentur, publicare. Cæte-  
ra, quæ huic volumini inserere animus fuit, in aliud  
tempus reservantur. Hæc si Deus otia dabit, atque  
hoc opusculum justis arbitris non displicere admadver-  
terem, promulgare non omittam.

Ante vero, quam finem huic præfationi faciamus,  
pauca adhuc monere non alienum ducimus. Si quis  
stylum et dictionem librorum apocryphorum cum ele-  
gantia scriptorum florentis Græciæ ætatis comparave-  
rit, multa, quæ eum offendant deprehendat necesse est:  
quinimmo non pauca observabit loca, ubi scriptores li-  
brorum apocryphorum soloecismi incusandos esse cen-  
sebit. Hæc vitia ne editoris vel socordiæ vel inscitia  
tribuat, atque nostram linguæ græcæ cognitionem, te-  
nuem fortasse et jejunam, justo tenuiorem judicet,  
enixe



enixe petimus. Hunc observare velimus, conditionem scriptorum græcorum sequioris ævi longe aliam fuisse ac eorum, qui eo tempore, quo lingua græca viguit, scripta litteris consignarunt. Tota enim linguæ facies labente tempore ac gentis pristina gloria penitus mutata est; quæ mutatio eo usque serpsit, ut ab antiquioribus grammatices præceptis deflectere non dubitaverint posterioris ævi auctores. (Qui hæc penitus cognoscere cupiunt, adeant præfationem, quam glossario mediæ et infimæ græcitatæ præfixit du Cange, et Simonis Portii grammaticam linguæ græcæ vulgaris, præfationi subnexam.) Hæc depravata corrigere atque ad antiquam puritatem effingere, nobis non licere, quinimmo cum editoris fide pugnare arbitrati sumus. Equidem non inficiabor, nonnulla adhuc in hoc opusculo adesse vitia, quæ editoris curam fugerint; sed his veniam concesserint ii, qui ejusmodi scriptis aliquam operam impenderint; nam ubi in quavis linea, ne dicam verbo, omnia mendis scatent, et membra dictionis ita mixta et turbata, ut sensum sæpius frustra quæras, vix singula quisquam, intentissimam licet adhibeat curam, consequi poterit.

Dabam Roschildiæ, mense Aprili, 1804.

CON-